

R. ad 1. N. Ass. Ad HILARIUM a Donatistis laudatum olim Aug. ep. 48. respondit, hunc Patrem arguisse decem provinciarum zizania, non triticum: plures obscuris Arianorum verbis delusos, voce, non sensu, dissensisse: paucos quidem comparative, sed tamen absolute multos perstisisse integros. De HIERON. in Tr. de Trin. (num. 37. et seq.) ostenditur dictum ejus habere hyperbolem, Patresque Ariminenses nullatenus reipsa fuisse hæreticos. Cæterum apertius evanescit objectio ex triplici Arianismi statu. 1^{mus} sub CONSTANTINO fuit ab hæresis ortu usque ad an. 337, quo tempore triumphavit vera fides in Conc. Nicæno: et quamvis postea Athanasius, sed ob personalia tantum, relegaretur, factioque Ariana artibus politicis ac dissimulatione erroris caperet incrementum; Oriens tamen maximam partem fidelis stetit, Occidens totus felici pace fruebatur. 2^{us} sub CONSTANTIO ad an. 361 prolatus, nihil turbarum, dum CONSTANS viveret, in Occidentem tulit; sed potius Ecclesiam in Conciliis Romano, Mediolanensi et Sardicensi egregie defensam conspexit. Post illius quidem mortem Occidens una et Oriens motu æquali est concussus, tum LIBERI exilio, tum Conc. Ariminensis et Seleuciensis sive facto sive præensione: nihil tamen effectum aliud, quam ut Ecclesia e violentiarum et fraudum nubibus illustrior emergeret. 3^{us} sub successoribus variis et diviso Imperio vidit in Occidente victricem semper Ecclesiam; in Oriente quidem afflictam, sed præcipuorum Episcoporum, Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni virtute, aliorumque plurium cum Occidentalibus communionem identidem erectam et perdurantem.

Ad 2. D. Cons. Ecclesia hodierna, non est diffusa per totum orbem diffusionem successiva; cum in memoratis regionibus omnibus Ecclesia olim flourerit, N. diffusionem simultanea, *Subd.* Ecclesia dominans, C. vel illa, vel tolerata aut patiens, N. Ecclesia *dominatur*, ubi rerum potiuntur Principes fideles, qui publicum Religionis exercitium præcipiunt aut tuentur: *toleratur* ubi dominantur Principes infideles aut Aetholici, qui privatam saltem exercitium impune tolerant aut dissimulant: *patitur*, ubi nemo sive palam sive privatus catholicus esse impune sinitur. Dictum autem esse supra universalitatem successivam sufficere; simultaneam, si qua admittitur, non esse metaphysice sed moraliter talem; atque hanc postremam etiamnum Ecclesiam secundum aliquam de expositis acceptionem tribui posse, patet ex superioribus; præsertim cum Ecclesia sæpe sit magis conspicua, ubi patitur quam ubi dominatur, ut in primis Ecclesiam seculis manifestum fuit.

Ad 3. Respondet L. de unit. Eccl. c. 15. Aug. Donatistis idem objicientibus, id intelligi dictum vel propter ipsam fidei perfectionem, vel propter iniquorum abundantiam et paucitatem honorum: neque interrogatione in textu usurpata fidem omnem aut penitus negari.

IV^o. Contra Apostolicitatem. 1. Apostolicitas ex fundatione videtur rejecta a PAULO 1. ad Cor. 1. v. 12. improbante quod unusquisque dicat: « Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollos, ego vero Cephas: » ex eadem et successione constans non cognoscitur; cum ea cognitio ex historiis derivanda, rudibus sit impervia, eruditis controversa: ergo. 2. Successio ab Apostolis ad nos perducta vel est ratione loci, vel ratione personarum, vel ratione doctrinæ: nulla ex his quadrat pro nota Ecclesiam: ergo. 3. Memorata successio colligitur ex missione ministrorum vel ordinaria vel extraordinaria: saltem alterutra convenire potest etiam Ecclesiam a Romana sejunctam; ergo.

R. ad 1. N. utr. p. In priori disparitas est, quod provocatio ad Apostolos a Corinthiis fieret, scindendo unitatem et negligendo Christum tanquam principium: a nobis autem ea fit, tendendo ad unitatem, et primam fundationem in Christo. In posteriori, rudibus sufficit ignorantia initii post Apostolorum tempora facti: eruditis deesse notitia nequit de antiquitate Ecclesiam et novitate Sectarum.

Ad 2. N. m. Neque enim successio localis deest in Ecclesia vera; siquidem illa non repetatur a residentia in loco, sed a jure in sedem, quo modo appellatio Romani Imperatoris etiamnum usurpatur: neque deficit successio personalis saltem Episcoporum universalium, ut ex Pontificum historia liquet: neque desideratur doctrinalis, quamvis rationem notam non habeat; cum priorum duarum comes sit, et ex universalitate doctrinam sequatur.

Ad 3. N. min. Auctor enim vel sectator Ecclesiam falsam vel ordinariam missionem ex defectu ordinationis legitime non accepit; vel amissa per hæresin aut schisma jurisdictione eandem non retinuit: pro extraordinaria autem nemo extra Ecclesiam probantia signa adducet unquam; aut si adferat, nec tamen ordinariam missionem se submittat, ministerium contra divinum ordinem usurpat.

103. *Observa.* Plerasque notas ab aliis assignatas reduci ad quatuor a nobis propositas, ex ipsa earum expositione data constat. Sicut hic referri nequeunt postremae duæ a BELLARMINO deductæ, felicitas nempe temporalis defensorum, et infelix exitus hostium Ecclesiam veram, sic nec easdem in notarum numerum admittimus. Quamvis enim contingat aliquando, persecutores Ecclesiam hac in vita a Deo flagellari, et e contrario ejus defensores præmiis cumulari et bonis, ut exemplis insignibus Cardinalis dietus amplissime illustrat: contrarios tamen eventus historiae etiam tum veteris tum novæ Ecclesiam produunt; ut adeo illa tanquam propria nequidem sanctitati conveniant, ideoque careant conditione ad notam Ecclesiam omnino requisita.

ARTICULUS IV.

An vera Christi Ecclesia deficere possit?

104. *Nota.* Ecclesia visibilis, qualem hactenus probavimus veram Christi, deficere dupliciter concipi potest; vel per desitionem, si nempe nulla aliquando reipsa existat, aut visibilis sit congregatio fidelium sub Christi vicario eandem fidem profitentium et sacramenta eadem participantium: vel per mutationem, si nempe congregatio ista aut non uniatum amplius cum capite, aut profiteatur fidem erroneam, aut falsa sacramenta participet. De utraque defectibilitate hic queritur; et quidem 1^o an Ecclesia possit deficere per desitionem, seu perire penitus aut disparere? 2^o an possit deficere per mutationem? quæ postrema questio quamvis plures secundum expositionem proxime datam partes habeat, sistit tamen in puncto magis controverso, facitque hunc sensum: an Ecclesia falli aut errare possit in rebus fidei?

Quæsitum utrumque LUTHER. L. de servo arbit. et CALVIN. L. 4. Inst. c. 1. facta distinctione in Ecclesiam invisibilem et visibilem, de illa quidem negant, de hac autem affirmant: quin adjuncta alia divisione rerum fidei in necessa-

rias, seu necessario credendas, et non necessarias, alicubi tribuunt Ecclesiam non falli in necessariis, quod tamen fieri posse in non necessariis contendunt. Orthodoxi contra, utroque discrimine expulso, Ecclesiam etiam externam ac visibilem negant desinere aut falli posse, asseruntque perpetuam ac infallibilem in rebus fidei etiam non necessariis: quam quidem infallibilitatem etiam extendunt ad res morum, communem omnium fidelium salutem spectantium; cum ad fidem etiam pertineat approbare, quod bonum et honestum est, et reprobare omne vitiosum ac turpe; Sanctitas præterea Ecclesiam et recta pascendi ratio exgat, prohibere salutem communi noxia; et e contrario necessaria præcipere.

105. *Dico I.* Vera Christi Ecclesia deficere non potest per desitionem, sed perpetua est et perpetuo visibilis. *Prob. Auctoritate* 1^o PROPHETARUM, nempe Isa. 61. v. 8. *Fædus perpetuum feriam eis; Dan. 2. v. 44. In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur; Psal. 47. v. 9. Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in æternum.*

2^o CHRISTI, qui Matth. 16. v. 18. inquit: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; c. 24. v. 14. Prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet finis; c. 28. v. 20. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.*

3^o APOSTOLORUM, ex quibus Paulus in ep. ad Ephes. 4. v. 11. ait: *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum in opus unitatem fidei et agnitionis filii Dei; et 1. ad Tim. 6. v. 14. Præcipio tibi, ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque in adventum Domini Nostri Jesu Christi.*

4^o PATRUM, inter quos Ambr. L. 4. Hexam. c. 4. scribit: *Videtur Ecclesia deficere, sed non deficit: obumbrari potest, deficere non potest; Chrys. in c. 7. Isaia: Facilius est solem extinguere, quam Ecclesiam deleri; Aug. contra Paganos in Psal. 71. inquit: Putant Religionem nominis Christiani usque ad certum tempus in hoc seculo victuram, et postea non futuram: permanebit ergo cum sole, quamdiu sol oritur et occidit; hoc est, quamdiu tempora ista volvuntur, non deerit Ecclesia Dei, id est, Corpus Christi in terris; et in Psal. 77. Quis vero fidelium dubitet Ecclesiam, etiamsi aliis abeuntibus, aliis venientibus ex hac vita mortaliter transit, tamen in æternum esse fundatam: contra Donatistas autem L. 2. cont. Petil. c. 78. Cum de frumentis et zizaniis dixisset, sinite utraque crescere usque ad messem, tu laboras verbis tuis, ut frumenta jam per totum agrum defecisse, et ad exiguam particulam vestram remansisse credantur; dum vis, ut habeatur Christus mendax, tu autem verax; et L. de unit. Eccl. c. 12. Quomodo ceptum sit ab Ierusalem, et deinde processum in Judæam et Samaritanam, ac inde in totam terram, ubi adhuc crescit Ecclesia, donec usque in finem etiam reliquas gentes, ubi adhuc non est, obtineat, Scripturis sanctis ostenditur. Quisquis aliud evangelizaverit, anathema sit: aliud autem evangelizat, qui perisse dicit de cætero mundo Ecclesiam, et in parte Donati in sola Africa remansisse. Ergo:*

Prob. Ratione 1. Argumentum GAMALIELIS Act. 5. Judæos a conjuratione contra Christi Ecclesiam avocantis hoc erat: *Quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur: si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere: atqui Ecclesia Christi ex Deo est: ergo dissolvi non poterit.* 2. Si aliquando desineret aut non maneret Ecclesia in mundo visibilis, sicut ingressus in Ecclesiam, sic salus iis, qui sunt extra eam, foret impossibilis: consequens conciliari nequit cum voluntate Dei cupientis salvari omnes, et ad Ecclesiam adeundam urgentis: ergo. 3. Ecclesia Christi nec perire in se, nec disparere potest.

Non *primum*, quia nec instituta est pro certo duntaxat tempore, nec substituenda illi est altera, nec interitus comminatio facta est, nec deest conservatoris potentia, neque ex dictis voluntas. Non *secundum*, quia interna Ecclesia permanente manere etiam debet externa, et esse visibilis; cum homines justi, internam Ecclesiam constituentes, si profiteantur veram fidem, hoc ipso reddunt Ecclesiam visibilem: si non profiteantur aut negent, nec fideles sunt, nec salvari possunt, dicente Apostolo: *Ore autem confessio sit ad salutem; quo casu nulla jam esset Ecclesia, utpote in qua nemo fidelis esset, nemo posset salvari.*

106. *Objc.* Prædicta est Ecclesie desitio: 2. Paralip. 15. v. 3. *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, et absque Sacerdote, et absque Rege; Dan. 9. v. 27. Deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio; 2. ad Thesalon. 2. v. 3. Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, monemur non terri: ergo.*

R. Ad Arg. N. A. Nullibi est sermo de Ecclesia Christi; sed textus 1^{us} agit de religione in solo Israelis regno: 2^{us} de Synagoga, ipso Christo, Matth. 24. v. 15. prophetiam sic exponente, et Patribus plerisque hanc expositionem sequentibus: 3^{us} de defectione a Romano Imperio, aut de Antichristo per metonymiam *discessio* dicto intelligi potest, alterutrum sensum usurpantibus Patribus. Si quis discessionem pro defectione a fide accipiat, particularem quidem et multorum dici permittimus, non item generalem et omnium.

Inst. 1. Tota Synagoga sæpius fuit invisibilis, et tandem desiit penitus: 1^{um} accidit tempore Mosis, populo vitulum aureum adorante; tempore Judicum c. 2. v. 10. et 11. Israele idololatriæ adhærente; tempore Eliæ 3. Reg. 19. v. 10. illo solo derelicto; tempore Prophetarum, Isa. 1. v. 3. et Jerem. 2. v. 29. defectionem a Deo testantibus; tempore Achab et Manasses, factis Israelitarum, 3. Reg. 22. v. 8. et 2. Paralip. 33. v. 9. idem probantibus: 2^{um} eventu manifesto constat: ergo et Ecclesia Christi disparere et perire potest.

R. 1. T. A. N. Cons. Disp. est, quod Synagoga fuerit Ecclesia particularis, non necessaria ad salutem, constituta ad tempus certum, carens promissione indefectibilitatis: plane opposita conveniunt Ecclesie Christi.

R. 2. N. A. p. Ant. Tempore Mosis non omnes adorasse vitulum, ostendit notatus Exod. 32. v. 29. vel solus numerus Levitarum, cum Mose vindictam de hoc scelere sumentium: tempore Judicum Israelem, tantum per synechocchen, scilicet partem pro toto accipiendo; fuisse idololatram, patet tum ex phrasi simili Exod. 9. v. 6.; Isa. 2. v. 2., ad Philip. 2. v. 21. et alibi usur-

pata; tum ex historia postremis quinque capitibus libri Judicum relata, quam Cap. 2. prævie et generaliter indicatam Interpretes plerique censent: tempore ELLE et in Juda floruisse religionem ex gestis Josaphat certum est; et in Israele non omnino defecisse apparet ex eo, quod ibidem septem millia virorum ab idololatria immunium superfuisse 3. Reg. 19. v. 18. legantur; unde Elias non *solus* ex Dei cultoribus, sed ex Prophetis, relictus fuerat, ut ipse etiam textus enuntiat. Prophetarum citata locutio rursus habet figuram synecdoches jam memoratam.

Ætas ACHAB cum Eliæ tempore congruens probationem ex factis reddit inanem et falsam: Manasses autem impietas adeo cultum omnem veri Dei in Juda non extinxit, ut ne quidem consueta sacrificia e templo relegarit; cum altaria falsis numinibus erecta templi atria tantum occuparent.

Inst. 2. Etiam Ecclesiam Christi deficere posse, facta et ratio probant: 1^{um} quidem; quia moriente Christo, Apostolis dispersis, disparuit; de sua ætate CHRYS. hom. 49. in Matth., BASIL. ep. 69. et 70. et BERN. serm. 33. in Cant. id fatentur, vel scribentes abesse signum, quo dignoscatur Ecclesia, vel deplorantes Prælatorum corruptionem; de extremis temporibus EPHREM serm. de Antichristo scribit, *communi voto illum ab omnibus constituendum regem*; AUG. ep. 80 prædictis *signis apparentibus Ecclesiam non apparituram* enuntiat: 2^{um} probat tum constitutio Ecclesiæ, quæ moriente Pontifice perit, sicut homo revulso capite: tum ejusdem comparatio cum luna, quæ sic deficit, ut non appareat: demum proveccta jam ætas et senium Ecclesiæ interitum prænuntians: ergo.

R. N. utr. p. Ant. Ad prob. priores R. Exploratum est, Apostolis defuisse constantiam et fortitudinem, non fidem; cujus unius defectus perpetuitati Ecclesiæ nocet. Accedit, ortum Ecclesiæ non a die mortis Christi, sed a Pentecoste numerari; atque hinc inepte constantiam Ecclesiæ ante ejus formationem impugnari: quod utrumque vitium inest etiam argumento ex Protoparentum culpa a quibusdam formari solito. Quod Patres attinet, imprimis abusio fit nominis CHRYSOSTOMI; cum laudatum opus ex s. d. sit pseudepigraphum: BASILIUS cit. epp. Arianam, non Catholicam Ecclesiam perstrinxit: BERNARDUS vitia morum reprehendit, doctrinæ non meminit; quin serm. 66. aperte negat ex his vitiis Ecclesiæ ruinam imminere. Ephremi vaticinium non ad omnes absolute, sed ad sectatores Antichristi omnes pertinet: AUGUSTINI negatio tollit conspuitatem Ecclesiæ accidentalem in externo apparatu religionis, ministrorum frequentia, prædicationis et exercitii libertate ac magnificentia sitam; minime autem substantialem, in veræ fidei professione, sacramentorum usu et præceptorum observatione positam.

Ad prob. posteriores. R. Diversam esse rationem capitis moralis, ac quæ est physici, videre est in aliis compositis moralibus exercitus, civitatis et regni; quæ nec desinunt nec statum mutant, sublato licet capite, si modo facultas substituendi aliud simile adsit. Comparatio lunæ cum Ecclesia non est quoad omnia, sed aliqua; nempe sicut illa a sole, sic hæc a Christo lucem accipit, utraque successive et paulatim crescit, patiturque mutationes; ut Aug. in Psal. 10. et 103 enarrat. Senium Ecclesiæ ab annis quidem, non autem a virium defectu et declinatione ad interitum admittitur; cum potius ætas Ecclesiæ proveccta virtutibus etiam et rerum gloria augeatur, testante id S. AUG. serm. 3. in Psal. 36.

107. *Dico II.* Vera Christi Ecclesia deficere non potest per mutationem, sed infallibilis est in rebus fidei et morum. *Prob. I.* Ex SCRIPTURA. Hæc infallibilitas Ecclesiæ prædicta fuit ab ISA. c. 59. v. 20. et seq. *Cum venerit Sion redemptor... hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis tui amodo et usque in sempiternum*; et ab Osee 2. v. 19. *Sponsabo te mihi in sempiternum; et sponsabo te mihi in justitia et in judicio: sponsabo te mihi in fide*: fuit promissa a CHRISTO, tum locis Matthæi extremis (num. 105.) citatis; tum Joan. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere... vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit*; fuit prædicata ab APOSTOLIS, maxime Paulo 1. ad Tim. 3. v. 15. scribente: *Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.*

II. Ex TRADITIONE. Ex Patribus CHRYS. Sermon. de Pentecoste, Hier. ad c. 4. Isaïæ, et Ambr. L. de Salomone c. 4., ex textu Matth. 16. recitato, Ecclesiæ infallibilitatem probant et aperte ostendunt. AUG. autem L. 1. cont. Crescon. c. 33. sic inquit: *Scripturarum a nobis tenetur veritas, eum id facimus, quod universa jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas; ut quoniam Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate questionis, Ecclesiam ille consulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura demonstrat.* Idem L. 7. de baptis. c. 53. Nobis, ait, *tutum est fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione D. N. J. C. universalis Ecclesiæ consensione roboratum est*, et ep. 118. *Disputare contra id, quod universa Ecclesia sentit, insolentissimæ insanitæ est.*

III. Ex RATIONE sufficiat argumentum, quod AUG. toto libro de utilitate credendi amplissime tractavit; Cap. autem 15. in hanc collectionem contraxit: Species et pulchritudo rerum creaturarum exterior publice, interior autem conscientia privatim meliores quosque animos hortatur, Deum quærendum esse et Deo serviendum: providentia autem et bonitas Dei non sinit ut homini, quem hortatur, non providerit de viis, quibus ad veram religionem veramque sapientiam, qua Deus colitur quaque illi servitur, perveniat. Via hujusmodi est duplex; altera per *rationem*, per *auctoritatem* altera: sed ratio humana cæca nimium et infirma est, quam ut per illam eo perveniat: igitur a Deo auctoritas aliqua constituta est, ad quam sit recurendum. Porro ratio docet, inter auctoritates eam præ cæteris audiendam esse, quæ cæteris præeminet; cæteris autem præeminere auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ ex motivis credibilitatis manifestum est: ergo auctoritas Ecclesiæ a Deo constituta est, ut per illam ad veram religionem veramque sapientiam perveniat. Proinde infallibilem oportet esse Ecclesiam, in vera Religione et Sapientia demonstranda: quia alioquin falleret nos Deus, qui illam constituit, ut ab ea veram Religionem veramque Sapientiam discamus.

Conf. I. Ecclesia gubernatur a Christo tanquam corpus a capite et tanquam sponsa a sponso, juxta illud ad Ephes. 1. v. 22. *Ipsam dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*; et 2. ad Cor. 11. v. 2. *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*: eadem jubetur sub pœna anathematis audiri ab omnibus, dicente Christo Matth. 18. v. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* Ergo, nisi

Ecclesia sit infallibilis, tum falli potest Christus, tum gravissime obligamur ad firmissimum assensum incertis ac subinde falsis præstandum: quo utroque nihil absurdus.

II. Dogma, hoc ipso quod sit oppositum consensui Ecclesiæ, judicatur hæresis; ut patet tum ex historia trium priorum seculorum, in quibus exortæ hæreses, non aliter ut hæreses damnatæ fuerunt, quam consensu Ecclesiæ opposito: tum ex testimonio IRENÆI et TERTULLIANI, quorum ille L. 3. adv. hæres. c. 2. tradit hæreticos bifariam convinci, vel Scripturis, vel Traditione: cum ad eam iterum Traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successionem Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos: Unde et Florino hæretico nil aliud opponit præter hoc: *Hæc dogmata dissentiunt ab Ecclesia.* Iste autem, L. de Præser. c. 21. *Constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus, et originalibus fidei, conspirat, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum.* Atqui dogma istud damnari non posset ut hæresis, nisi consensus ille Ecclesiæ esset infallibilis: ergo.

III. Si Ecclesia errare posset in rebus fidei et morum, ergo errando non haberet Christi fidem, et sic desineret esse Christi Ecclesia: neque profiteretur fidem veram, et sic Ecclesia desineret esse visibilis: neque ullus haberet certitudinem de fide, fideique fundamento, objecto et adminiculis; et sic Ecclesia desineret esse congregatio fidelium. Sed hæc omnia vel sunt contra supposita vel contra demonstrata: ergo.

108. *Obje.* Ecclesia Christi obnoxia est ignorantiae, deceptioni, et errori, ut patet ex Isa. 56. v. 10. *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi;* et v. 11. *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt;* ex Matth. 24. v. 11. *Multi Pseudoprophetae surgent et seducent multos;* et 2. ad Thess. 2. v. 10. *Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio:* Ergo.

R. ad Arg. N. A. Textus enim 1^{us} intelligendus est vel de pastoribus Synagogæ, cui inerrantiam ita, ut Ecclesiæ Christi, promissam haud legimus: vel de omnibus, in sensu duntaxat accommodo; quem sensum phrasæ Scripturæ sæpius tolerat, hic autem admittendum esse rationes theseos demonstrant, 2^{us} et 3^{us} aperte de singularibus tantum, nec iis omnibus, enuntiant, adeoque ad Ecclesiam non pertinent.

Inst. 1. Ecclesia est cœtus hominum: sed homines sunt fallibiles, et totus etiam cœtus in credendo ac definiendo est liber; nec promissa illi est assistentia Spiritus sancti nisi conditionate, si nempe fidelis permanserit: ergo.

R. N. min. Quoad *prob. 1. D.* Homines singuli sunt fallibiles, C. collecti in cœtum et sub capite, *Subd.* sunt fallibiles, si spectentur soli, ac sibi relictis, C. Si accipiantur cum assistentia Spiritus sancti, cujus promissionem habent, N. Hoc ipsum ostendit nequam fieri posse argumentum a sensu distributivo ad collectivum; cum fidelibus collective sumptis, h. e. Ecclesiæ tantum, non item singulis seorsim facta sit promissio. *Ad 2. D.* Totus cœtus in credendo et definiendo est liber libertate contradictionis, C. libertate contrarietatis, N. vel *Subd.* physice, C. moraliter, N. Tot enim gratiis Christus adest Ecclesiæ, ut quamvis singuli errare possint, nunquam tamen omnes

simul errent. *Ad 3. N. Ass.* Qui enim ad id probandum Joan. 8. versus 31. et 32. afferuntur, non sunt theseos nostræ fundamentum, ut ex rationibus nostris a nulla conditione pendulis liquet.

Inst. 2. Ecclesia ipsa infallibilitatem in se nullam agnoscit; quia nec illam sibi ullo decreto aut canone asserit; nec hæreticos ad eam provocando, sed discutiendo et ratiocinando ex Scriptura et Traditione convincit; nec audet definire controversias theologicas de Gratia, Prædestinatione et aliis: ergo.

R. N. A. Ad *ejus prob. 1. R.* exercite et implicite id satis asserere Ecclesiam, dum anathemate percellit, quotquot suis decretis obluantur: neque ampliore auctoritatis suæ declarationem requiri, patet ex paritate cujuslibet judicis, usu ipso et praxi, non autem speciali decreto litigantibus suam auctoritatem probantis.

Ad 2. R. Neque id fieri semper; neque, si fiat, fallibilitatis causa fieri: sed quoniam Ecclesia parata est semper ad omnem satisfactionem omni poscenti rationem de sua fide; intentaque ad fidem, non tantum imperio et auctoritate, sed suasionem et doctrinam, contumaces adducere. Cæterum cum nova fidei dogmata non faciat, sed declaret, quæ in verbo Dei continentur, præmisso examine et ratiocinio hanc continentiam explicante, decretorie demum ex sua auctoritate suprema pronuntiat.

Ad 3. R. Ne fidei objectum sine necessitate et fructu increseat, Ecclesia jam a prima ætate consuevit non damnare nisi quod aut apertum errorem præ se fert, aut scandalum parit, aut de quo fideles inquirunt sensum Ecclesiæ, tanquam de re cujus oppositum ab aliis obruditur pro verbo Dei et articulo fidei: quod in suis controversiis non faciunt doctores Catholici.

Inst. 3. Rationes adductæ pro infallibilitate pugnant tantum pro rebus fidei: si vero trahantur ad res morum, veritates omnes morales ab Ecclesia propositæ forent de fide: sed 1^{um} facit thesin nostram gratuitam et inermem; 2^{um} ridiculam et absurdam: ergo.

R. ad Arg. quoad 1. p. T. M. N. min. Præter argumenta enim ex ratione deprompta, quæ pro infallibilitate in rebus morum pleraque pugnant, singularia quædam in fine num. 105. protulimus. *Ad 2. N. seq. M.* Ut aliquid dicatur esse de fide, debet esse revelatum formaliter vel implicite, quemadmodum in Tr. pr. dicendum est; infallibilitas autem Ecclesiæ non facit, sed supponit, applicat, et ostendit revelationem; adeoque ex infallibilitate hac non sequitur, quodlibet pertinens ad mores, ab Ecclesia propositum, esse fidei objectum. Plura tamen ex hoc genere reperire est, quæ utpote in Scripturis aut Traditione revelata fidem faciendorum constituent: prætereaque ad fidem divinam pertinet assertio, quod Ecclesia in rebus morum descriptis errare nequeat.

Inst. 4. Ecclesia aliquando mutat suas leges, variat disciplinam, et diverso ritu utitur: ergo in rebus morum non est infallibilis.

R. D. A. Ecclesia mutat leges in his, quæ sunt intrinsece mala vel bona, variat disciplinam in necessariis, diverso ritu ad substantiam fidei aut sacramentorum pertinente utitur, N. In aliis, quæ talia non sunt, et ubi alio tempore, alio loco, aliis circumstantiis expedire aut nocere saluti possunt, quæ alibi et alias oppositum præstabant, C. Quæcumque autem est mutatio posterioris generis, non tollit, sed potius probat Ecclesiæ infallibilitatem in rebus morum.